



~~J.H.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
17-69.
SIGNAT. CIIOCCCXIII.



DAVIDIS PAREI

De Pace & Unione Ecclesiarum Evangel.

ORATIO

Inauguralis

HABITA IN SOLENNI UNIVERSI-
tatis Heidelbergensis *πανεπιστήμιον*, II. April. 1616. qua Rev. &
Clariff. viro M. CUNRADO DECKERO S.S.
Theologiæ: novem aliis Candidatis Ju-
ris utriusq; insignia Doctoralia
conferebantur.

CUI ET SERENISSIMUS DN. ELECTOR,
FRIDERICUS V. Palatinus Rheni &c. cum Augusto suo
Senatu & Comitatu intervenit.

*CVM BREVI PROTESTATIONE D. PAREI,
cur adversarios Pacis & Synodi &c. resposso
nullo dignetur.*



HEIDELBERGÆ

Impensis IONÆ ROSÆ librarii Francofurt.
Typis Iohan. Lancelloti Academia Typogr.

clō 15 CXVI.

DAVIDIS PAREI

...

ORATIO

...

HABITATION...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...





DE PACE ET UNIONE EC-
CLESiarum EVANGELI-
CARUM.

Oratio inauguralis.

*Ut sanctam hanc λειτουργίαν ritè peraga-
mus, adsit nobis, quaesumus, gratia Do-
mini nostri IESU CHRISTI, Amen.*



Agnifice D. Rector, Spectabiles
omnium Facultatum Decani, re-
verendi, consultissimi, clarissimi
viri, Patres Academiae, Doctores,
Professores celeberrimi: hospites
omnium ordinum exoptatissimi,
juvenes studiosi & Auditores, quotquot adestis, no-
bilissimi, jucundissimi: Maiores nostri non absq;
ratione, alendis & excitandis literarum divinarum
& humanarum studiis, varia honorum praemia
proposuerunt. *Honos enim, juxta Tullianum illud, Cic. 1. Tuscul.
alia artes, omnesq; accendimur ad studia gloria.*

En vero: Exemplum vobis sistimus virum reve-
rendum, doctrina & virtute ornatissimum M.
CUNRADUM DECKERUM Juliacensem, cu-
jus studia aluit, excitavit honorum spes, accendit
virtutis gloria. Is enim curriculum literarium ab

*Candidati cõ-
mendatio.*

2 ORATIO INAUGURALIS

ineunte ætate semel feliciter cœptum, variis deinceps in Scholis, Gymnasiis, Academiis, Lipsensi, Leydensi, Cantabrigiensi, præsertim verò nostra Heidelbergensi, non post privata solùm pulpita, sed & publicis functionibus compluribus, Rectoratibus Scholasticis, Oppenheimensi, Crucenacensi: Præceptoratibus illustribus Collegii SAPIENTIÆ, quod apud nos est, tribus ex ordine, primùm tertiano, ubi egomet eum ex discipulo collegam habui: post secundano: tandem primario, quo in præsens cum laude fungitur, studio indefesso ita decurrendum atque urgendum sibi esse existimavit, ut quemadmodum ante annos XXV. in nova tunc Batavorum Lugdunensi Academia, primus omnium Magistralem Philosophiæ lauream adeptus fuit, sic in hac nostra Doctorales etiam S. Theologiæ honores tandem consequeretur.

Et eam quidem ob rem, Auditores, ego in præsentia Cathedram istam conscendi, ut insignia honorum à venerando Senatu Theologico jure meritoq; illi decreta, in hoc augustissimo Universitatis consessu, recepta solennitate, conferam, conferriq; faciam. Id verò priusquam peragendum aggrediar, more consueto aliquid mihi ad vos præfandum esse sentio.

Dixi ex hoc loco non ita pridem de quinquagenario Palatinæ Ecclesiæ statu, mihi per Dei gratiam decurso atq; coràm viso. Haberem non pauca, quæ dictis nunc adderem, memoratu haud indigna. Cæterum præsens tempus argumentum aliud postulare videtur. Unum hoc præterire silentio nolo, quod feliciomine dixero. Quinquagenarius

DE PACE ECCLES. EVANG. 3

genarius ille circulus hac ipsa die revolutus præci-
sè clauditur. Undecima enim Aprilis, qua hodie- *Dies promoti-*
nam *πενήγυειν* celebramus, anno superioris seculi *onus claudit*
LXVI, adolescentiæ meæ florentissimæ XVIII, *quingage-*
Heidelbergam fausto sidere primùm ingressus, at- *narium lubi-*
que in collegium Sapientiæ cooptatus fui. DE O *laum Ecclesia*
Palatina,
OPT. MAX. immortalis, gratiæ immortales, qui
post tot commilitonum, collegarum, amicorum,
fautorum, Mœcenatum beatas emigrationes, mihi
propè uni lucis huius usuram hucusq; gratiosè ex-
tendit, meq; quinquaginta his annis variorum a-
gonum & vicissitudinum Ecclesiæ suæ in Palatina-
tu & foris, non tam spectatorem, quàm *συναγωνιστήν*
esse voluit.

De pace igitur Ecclesiarum Evangelicarum Ger-
maniae in præsens aliquid proferre, operæ pretium
dixi: quod argumentum sentio nunc in ore omni- *Propositio.*
um versari. Id enim vernis hisce nudinis à di-
versis adversariis, diversa prorsus ratione & scopo,
per omnes ferè librariarum tabernas instar pilæ
proiectum, percussum, vexatum, exagitatumque
esse, nemo vestrum est fortè qui nesciat.

Verum enimverò in re tanta, nimis me tempo- *August. Epist.*
ris angustia constringi video. NEBRIDIUS ille *23.*
magnus *Augustini* amicus *valdè oderat de questione*
magna, responsonem brevem. Hoc non obstante,
magnum argumentum mihi in paucissima est con-
trahendum. Vos igitur, qua possum, reverentia
obtestor, aures mihi benevolas semihorium con-
cedatis.

VIDETIS, prò dolor, Auditores, Ecclesias Ev- *Evangelicarum*
angelicas Germaniæ nostræ, postquam seculo nunc *Ecclesiarum*
diuturna
discordia,

4 ORATIO INAUGURALIS

pene circumactō, sic urgente conscientiarum religionē ac necessitate, à Romano PAPATU secessionem fecerunt, jam diu furiis quibusdam intestinis pacem turbantibus infelici schismate laceras, in diversa ruere, fatiscere. Interim in sinum ridet Romanus PONTIFEX: frigidam suffundunt emissarii eius Jesuitæ, dissidium nostrum, quibus possunt, artibus, in ANTICHRISTI trahentes compendium, exitiumq; universis machinantes.

*Remedia discordia varia
quasita.*

Ingemiscunt contrà ad tam præsens malum, urgentq; periculum, omnes pii & cordati viri, variaq; varii remedia per Theologorum scriptiones, disputationes, colloctiones hætenus quærenda parandaq; esse existimarunt.

*Irenicum suadet Synodum
Evangelicorum
non novo exemplo.*

Evulgatum à me quoq; eâ causa ante biennium fuit IRENICUM, *de unione & Synodo Evangelicorum concilianda*, (quæ concordia ratio multis etiam ante me placuit) interimq; dum Synodus coire possit, de mutua tolerantia, pioq; Syncretismo partium dissidentium adversus molitiones Papatus faciendo, colendo, *paci Ecclesie & desideriis pacificorum dicatum*: scriptum perquam moderatum, non tam meo, quàm superiorum & plurimorum bonorum iudicio.

Psalm. 120. 7.

Quid factum? Quod Psaltes queritur. Dum pacem ego suadeo, bellum atrocius de novo moluntur illi, quos minimè oportuit: quia quod dextra ego dedi, sinistra illi arripuerunt, uti solent, qui pacem oderunt.

Frid. Baldwin Oratio.

WITBERGENSIUM unus theatra declamatione dissuadet Synodum, quasi minimè necessariam, utilem, possibilem. *Alius in eadem schola ceu*

DE PACE ECCLES. EVANG. 5

la ceu precio conductus intercessor, tribunitia disputatione Syncretismum sive amicabilem conventionem Evangelicorum oppugnandam sumsit. Cæterum ambos hos cavillis nimium frivolis rem tantam agere, non difficile fuit ostendere.

Leonh. Hutse-
ri Problema.

Post duos velites, nunc totis castris adversus IRENICUM ruunt vicini nostri TUBINGENSES, volumine *ἑκατομύδιον*, centifolio, Suevica loquentia turgido (nempe ut ex proverbio maneret *Das grosse Buch von Tübingen*) quo Synodum, Syncretismum, pacem, unionem Evangelicorum, manibus pedibusq; à se repellunt, hostiliter impugnant, bellum fatale renovant.

Iohan. Geor.
Sigwarti ad-
monitio male-
dica.

NUPER etiam Moguntinus quidam, Jesuita nescio an circulator, Lucianicam *νεκρομαντείαν* commentus, dici non potest, quàm scurrili dicacitate Unionem & Synodum Evangelicorum è sublimi derideat. Manes Theologorum utriusq; partis celebriorum, refossis sepulcris, in theatrum Synodicum producit, fictaq; disputatione vivos & mortuos histrionicè invicem committit, scilicet ut disfidium nostrum grave ac diuturnum esse doceat, & Theologos non alios in Synodo, quàm quales domi fuerant, indomitos, protervos sermone, futuros persuadeat. Quasi verò illud obscurum cuiquam sit, vel à nobis dissimuletur, ut multa ostensione opus fuerit: istud non sit ipso Irenico præoccupatum atq; dilutum.

Adami Con-
zen. Iesu de
Unionis & Syno-
Evang.

Iren. cap. 6.

Idem scriptor duobus insuper libris *de pace Germanie* nunc divulgatis, ineptiis, calumniis & scurrilitate plenis, non tam IRENICUM impugnans, quàm Lutheranis palpum obtrudens, turpiterque illudens,

Conzen de
falsa & vera
pace Germa-
nia.

6 ORATIO INAUGURALIS

illudens, simulatis blandimentis eosdem ut charos fraterculos monet, hortatur, rogat, obsecrat, fidem Calvinistis ne habeant, Synodum, Unionem, pacem, Syncretismum turpem, insidiosum, exitiosum ceu pestem fugiant, caveant: denique modis omnibus gladio, quod dicitur, ignem discordiæ fodit, suadetq; bellum fortiter in Calvinistas persequantur: nihil interim dissimulans, id sese agere, ut mutua collisione nos atterat, & subvertat utrosq;: morem in hoc vaferrimi sui Pontificis imitatus, cui jam olim solenne fuit inter Reges & Principes Christianos semina discordiarum spargere, discordes Sinoniis artibus invicem collidere, ex Regum collisione tyrannidem suam stabilire.

*Sinoniis artibus
Iesu. t. a.*

*Sinoniis artes
Pontificis.*

*Desuita capitula
a maledicta
in Pareum.*

*Pag. 259. 371.
75. 742. 376.
380. 372. 74.
68. 56. 82.*

*In Theologos
Evangelicos.*

Pag. 805. 446.

*In Principes
Correspondentes.*

Ut verò IRENICO speciosè maledicat, quæ de *Syncretismo* Ecclesiastico illud dicit, ad civilem ipse conspirationem in Papistarum necem, nefaria impudentia trahens, PAREUM *criminatur impostorem, seditiosum, sævum, crudelem, in sanctos, in Principes Protestantes, in Imperatorem injurium, bellum molientem Principibus Austria, Styria, Bavaria: imo Germanic; Italia: eadem Catholicis, excidium Lutheranis machinantem &c.* Sed PAREO maledicere, parum habuit:

PRÆDICANTES Evangelicos, Lutheranos, Calvinistas, quasi discordiarum, odiorum, bellorum civilium omnium in Romano Imperio authores capitis arcessit, nec nisi turbones illi & Gracchi coërceantur, pacem in Imperio Romano stabilem esse posse, tragicè queritur.

PRINCIPES deniq; Correspondentes adversus Imperatoriam Majestatem diffidentiam & simultates alere, omnibus legibus & judiciis eximi velle, omnium Prin-

DE PACE ECCLĒS. EVANG. 7

um Principum, atq; ad eo ipsius Augusti jurisdictionem, Pag. 304. 326.
inauditâ oligarchiâ, ad sese attrahere, potestatem Cesaris 322.
in dubium per suos legatos vocare, Tribunitiâ audaciâ
vociferatur,

Tandem verò leoninâ depositâ, vulpinam resu-
mens, & his Gracchis, & illis turbonibus veniam
pacemq; pollicetur, si modo Tridentino Concilio Lib. 2. cap. 32.
calculum addere: jugo Romano colla submittere
velint.

Quid igitur? Sinonium hunc scurram an canem
latrantem in præsens compescere, instituti mei
non est. Relinquendus nunc est sanorum homi-
num iudicio: vindicis DEI baculo coercendus.

Ad ἐναρτυροῦλον Tubingense revertor, & quid Hic Severiss.
Elector cum
suis Auditori-
um subit.
dicam, audire vultis? Plaustrum est chartarum &
nugarum. PAREUM sophistam, impostorem, men-
dacem, impudentē, viperam, calumniatorem, & ne-
scio, quem non identidem salutatur illa Christiana Ad-
monitio. IRENICI mentem, ubi potest, perversit:
ubi nequit, veteres iterat coccyismos, calu- Coccyismi Tu-
bingensium.
m-nias, consequentias mendaces, de Calvinistarum
scilicet blasphemis erroribus: Quod DEUM faci-
ant omnium scelerum authorem: negent esse justum, mi-
sericordem, verasem, omnipotentem: negent Christum
esse DEUM; esse pro omnibus mortuum; esse juxta u-
tramq; formam adorabilem: negent realem naturarum in
Christo communionem: negent baptismum esse lavacrum
regenerationis: Christum S. cœna excludant: Sacramen-
ta evacuent: mysteria omnia ratione metiantur, & id ge-
nus alia falsa, calumniosa, sophistica, centies ob-
jecta, protrita, Irenico ipso refutata.

B

8 ORATIO INAUGURALIS

*Coccyfmozum
br. vii. refuta-
tio.*

** Gen. 45. 8.
1. Reg. 12. 24.
Iob. 1. 21.
Act. 4. 28.*

*Rom. 9. 11.
Rom. 9. 18.
Rom. 3. 22.*

2. Tim. 2. 13.

Act. 8. 27.

Quid verò his vitiligatoribus facias? **NUM** **DEUM** scelerum authorem facimus: quia **DEUM** aliquando in sceleribus hominum, puta, Josephi venditione, decem tribuum defectione, Jobi depraedatione, Christi crucifixione, &c. (*quæ Scriptura **DEO** transcribit) non nudum permissorem, otiosum spectatorem, cum ipsis fingimus, sed efficacem & justum scelerum per scelera vindicem, occultum judiciorum suorum executorem, cum **S. Scriptura** agnoscimus, prædicamus? **NUM DEUS** non justus: quia ex duobus pueris nondum natis, nullo boni vel mali operis intuitu, Jacob dilexit, Esau odio habuit? **NUM** non misericors: quia miseretur, cuius vult: quem vult, indurat? **NUM** non verax: quia promissiones Evangelii solis credentibus ratas facit? **AN** non omnipotens: quia substantiam corporis Christi finitam, circumscriptam, simul infinitam, ubiquitariam facere, hoc est, mentiri, seipsum negare non potest, nullo potentiae defectu, sed absoluta naturæ perfectione? **NUM** Christus ideo non **DEUS**: quia caro eius creatura, non **DEUS**? **NUM** non pro omnibus mortuus: quia non omnes, infideles, damnatos, morte sua in sinum & gratiam **DEI** reposuit? **NUM** non juxta utranque formam Christum adoramus, quem **DEUM** & hominem, unâ latriâ, salvo naturarum discrimine, veneramus? **NUM** realem naturarum communionem negamus: quia Eutychnianam proprietatum naturalium commixtionem, Schwenckfeldicam naturarum exequationem aversamus? **NUM** baptismum regenerationis lavacrum negamus, quia Simonem magum, Judæum impostor-

DE PACE ECCLES. EVANG. 9

impostorem multoties tinctum, de quo Socrates, *Socrat. lib. 7. h. st. cap. 17.*
 baptismo regeneratum inficiamur? Num Christi S. cœna excludimus, quia corpus eius in hostia latere negamus? Sacramenta *num* evacuamus: quia signa & sigilla gratiæ facimus: urceos & capas rerum cœlestium esse non credimus? Num deniq; mysteria divina ratione metimur: quia ad verbum DEI & fidei analogiam significata eorum exigi volumus? Minimè gentium. Faceffant tam futiles argutiæ, tam putidæ calumniæ toties protrictæ, Irenico ipso, ut dixi, refutatæ. Discant vero isti Theologi ex Scriptura, non ex ratione sua, rectius DEO θεολογῆν.

Quid ni igitur sufficiat nobis tam elumbes ofutias explodere per PURA GENERALIA: pro defensione repetere PRIORA: quod rabulis in foro, qui præsiidiis causæ destituti, crambem tercotam cum fastidio reponunt, neque ad rem noviquid proferunt, responderi solet. Quorsum enim aures populi, lectorum oculi iisdem subinde næniis in infinitum occupabuntur, fatigabuntur? In medio sunt positæ Gatecheses, confessiones, Apologiæ nostræ. Harum verbis & sententiis, non frivolis sophistarum consectariis judicari volumus. Legantur, recognoscantur acta hinc inde, & actitata tot annis, & fiat iudicium.

ITANE verò, *inquierent*, nos crambem tercotam? Nihil novi nos, nihil ad rem diximus? Nonne mox initio RATIONES quinque gravissimas produximus, cur Calvinistis hæctenus negata spiritualis fraternitas, & porrò neganda sit Ecclesiastica unitas? Nonne universa & singula IRENICI

IO ORATIO INAUGURALIS

præsidia, momenta prolixè, solidè discussimus, destruximus?

POSTERIUS hoc, quale sit, modo dictum, & suo erit dispiciendum loco. Quod ad PRIUS, rationes tot productas fateor: gravissimas esse nego. Sunt enim vanæ, falsæ omnes: quod Auditorii & temporis ratione habitâ, strictissimè ostendam.

*Rationes Tu-
bingensium
contra Ireni-
cum & Pacem
discutiuntur.*

PRIMA ratio est: *Quia, inquit, pars utraq; dis-
sentit non tantum in adiaphoris vel ceremoniis, nec dun-
taxat de questionibus, salutem aeternam non concernenti-
bus, controversitur: sed distant inter se in præcipuis to-
tius Christianismi & fundamentalibus fidei articulis,
propositionibus & dogmatibus diametraliter oppositis; ut-
pote de DEI justitia, bonitate, misericordia, voluntate
& omnipotentia: de persona & officio Christi: de provi-
dentia DEI: de causa peccati: de fide: de electione: de
libero arbitrio, &c. aliisq; capitibus Religionis cardina-
libus, quæ utiq; fundamentum ipsum concernunt; & ab
adversa parte multis nominibus depravantur: deprava-
ta in hunc usque diem mordicus retinentur, accumulân-
tur. Hæc igitur causa prima, cur fieri non possit coalitio.*

RESPONDEO. Hæc ratio palmaria, & vel so-
la digna, quæ Synodo sanorum Theologorum dis-
cutiatur, nunc saltem paucis expedienda est. Tota
scatet sophisticâ, ad imposturam simplicium, imò
& prudentum & Principum comparata. *Vnum
solum verum: alia omnia νεωτέρα, falsa.*

VERUM est, articulos, qui nominantur, ple-
rosq; vel omnes, de DEI justitia, bonitate, mise-
ricordia, voluntate, omnipotentia, providentia,
electione: persona & officio Christi &c, funda-
mentum salutis concernere, ut isti loquuntur. Ad
funda-

DE PACE ECCLES. EVANG. II

fundamentum enim pertinet, credere, DEUM esse justum, bonum, misericordem, voluntarium, omnipotentem, hostem, non causam peccati, habere providentiam, electionem, Christum *Jesus & pater* esse unicum mediatorem, servatorem, & cetera.

Sed FALSUM *primò* Evangelicos de his inter se dissentire. In confesso enim ista sunt omnibus, Lis est de consequentiis & dogmatibus quibusdam ipsorum & nostris, circa illos articulos. Non inquam, quæritur num Deus sit bonus, misericors, justus &c. sed: num doctrina Apostoli Augustini, Lutheri, nostra, an vero Erasmi Pelagiana ipsorum, de prædestinatione, bonitatem, justitiam &c. Deo auferat &c.

FALSUM *secundo*, dogmata controversa ipsorum, vel nostra, esse de fundamento salutis. Structuræ sunt super fundamentum, de quibus, aureæ, an stipulosæ sint, contenditur. Nesciunt isti, vel dissimulant, quid sit fundamentum, ideo æquivo- *Tabingenses æquivoce loquuntur de fundamento.* cè loquuntur: *fundamentum concernunt*: quasi non universa Theologia fundamentum concernat: nec tamen universa sit fundamentum.

FALSUM *tertio*, dogmata ulla fundamentum concernentia à nobis depravari. Non litigantis partis, sed æqui Judicis hanc vocem esse oportet. Nos contra plurima ab ipsis depravari contendimus.

FALSUM *quarto*, depravata dogmata à nobis mordicus retineri, accumulari. Videlicet, sicuti oculis glaucomate obductis omnia glauca videntur: sic istis ex falsis suis principiis, omnia nostra,

12 ORATIO INAUGURALIS

quæ identidem hinc inde omnibus suis chartis accumulans, falsa apparent: sua ipsi portenta à falsitate absolvunt.

FALSUM deniq; & inconsequens, ex tam falsa causa Ecclesias Evangelicas hætenus coalescere non potuisse, vel deinceps non posse.

Sufficere hæc poterant breviter. Verum nervus rationis huius paulo plenius videtur explicandus.

Explicatio plenior rationis de dissensione fundamenti.

INTER dissentientes in fundamento non dari unionem spiritualis fraternitatis, verum est. Verum quoq;, dissentientes totaliter de articulis prædictis, non posse in fundamento, & fraternitate convenire. Dissentientes verò in illis de una, vel altera conclusione à Theologis benè vel malè ex scripturis deducta, non posse convenire in fundamento, nec coire in fraternitate, ab adversa parte falsò sumitur. Testante enim Apostolo, aliud est fundamentum: aliud sunt structuræ super fundamentum ædificatæ. *Fundamentum* soli Prophetæ & Apostoli posuerunt. *Structuræ* ab architectis Theologis fundamento superædificantur: & quidem aliæ ut aurum, argentum, lapides preciosi: aliæ ut lignum, fœnum, stipulæ. Quales quales vero sint, non sunt ipsum fundamentum, nec de fundamento, sed fundamento congruæ vel secus. Quæ congruæ, *fundamentales* dici possunt, quia congruæ fundamento, sed non, quia de fundamento. Nullæ igitur structuræ, aureæ, argentæ, nedum lignæ, stipulosæ, pro fundamento, vel fundamentales absolutè venditari possunt vel debent. Fides enim fundamenti, & fides structuræ huius vel illius, non pariter se habet.

Tubingensium falsa hypothesis.

1. Cor. 3. 12. Eph. 2. 20.

Fides fundamenti & structurarum non pariter se habent.

DE PACE ECCLES. EVANG. 13

habet. *Ill*a, omnibus salvandis, adultis, Theologis & idiotis, docentibus & discentibus, absolute est necessaria: quia sola salvat: ignoratio vel negatio eius simpliciter damnat. eoq; fraternitatis vinculum solvit. *Ista*, licet in Theologis requiratur: idiotis tamen non est simpliciter necessaria: quia sola non salvat: ignoratio vel negatio absolute non damnat: eoq; nec fraternitatis vinculum simpliciter abrupit. Quod vel in Corinthiis videre est, quorum Doctores quidem varias structuras fundamento superstruxerant; Fundamentum tamen idem & fraternitatem eis non adimit, neq; negat Apostolus. Ad rem.

FIDEM fundamenti brevissime tradidit Servator: *Hec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti JESUM CHRISTUM:* Ioh. 17: 30
 Et Apostolus: *Vt peritus architectus fundamentum posui: alius autem superadificat. Porro quisque videat, quomodo superadificet. Nam fundamentum aliud ponere nemo potest, praeter id, quod positum est, quod est JESUS CHRISTUS. Quod si quis superadificet super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides preciosos: ligna, faenum, stipulas: cuiusque opus manifestum fiet & Item: Superstructi super fundamentum Apostolorum & Prophetarum &c.* 1. Cor. 3. 10. 11. 12. UNDE patet, alios architectos fundamenti, alios structurarum esse. Ad FIDEM autem FUNDAMENTI pertinere cognitionem veri DEI, Lege & Evangelio, per Prophetas & Apostolos in Ecclesia revelati: nec non cognitionem veram unici Servatoris *Ἰεσου Χριστου* JESU CHRISTI: pro nobis mortui & suscitati &c: pro ut Irenico cap. 29. fusius est declaratum. Hoc fundamentum

Fides fundamenti quae



14 ORATIO INAUGURALIS

damentum quicumque fideliter crediderit (etiam si multas aliorum structuras nesciat) sine dubio servabitur: Qui non fideliter crediderit (si vel omnes structuras sciret) sine dubio aeternum peribit. In eo autem FUNDAMENTO Evangelicos utriusque partis ex professo consentire: In plerisque à Papistis, & haereticis veteribus ac novis dissentire, IRENICUM ibidem liquidè ostendit. Falsum igitur, Evangelicos in fundamento non consentire: in fraternitate coalescere, ob structurarum aliquarum discrepantiam, non posse. Nec sequitur hinc, nullas structuras esse discendas, sed, omnes esse probandas.

Structura super fundamentum nostrum & ipsorum non contraria.

PORRO super hoc fundamento structuras fecerunt nostri Theologi: fecerunt & ipsorum architecti, de quibus litigatur, sintne aurum, an stipulae. Commemorabo aliquot praecipuas.

DE PRAEDESTINATIONE: *Nostri*, cum Apostolo, Augustino, Luthero: Sicut figulus, pro arbitrio, ex eadem argilla facit vas aliud ad honorem, aliud ad dedecus: sic Deum, pro beneplacito, ante jacta mundi fundamenta, ex massa damnabili generis humani, certa electione discrevisse salvandos & damnandos: seu praedestinasse alios ad vitam, alios ad mortem: ut in illis per CHRISTUM servandis, misericordiam & bonitatem: in istis, propter peccata damnandis, iram & justitiam suam declararet. *Illi* cum reliquiis Pelagianorum: DEUM nulla certa electione discrevisse salvandos à damnandis: sed vel omnes elegisse, vel (neque enim concordant) elegisse eos, in quibus praevideat fidem & perseverantiam: reliquos praeteriisse, in quibus praevideat spretum

DE PACE ECCLES. EVANG. 15

spretum usum mediorum salutis: secus, DEUM nec bonum, nec justum fore.

DE PROVIDENTIA, *Nostri*: DEUM peccata, quâ peccata sunt, permittere: sæpè verò peccata peccatis punire, per peccata hominum occulta sua judicia exequi, & sic opera malorum, quâ sunt pœnæ, vel occulta DEI judicia, DEO in scripturis non permissivè tantum, sed & effectivè adscribi. *Gen. 45. 8. 1. Reg. 12. 24. Job. 1. 21. Act. 4. 24.*
Illi: DEUM peccata nudè permittere: secus, fieri causam peccati.

DE OMNIPOTENTIA, *Nostri*: DEUM non posse seipsum negare, contradictoria velle, vel facere: ut Christi corpus simul finitum & non finitum; corpus & non corpus efficere. *Illi*, Deum posse efficere sine contradictione. *2. Tim. 2. 13.*

DE FINE CREATIONIS, *Nostri*: DEUM omnia fecisse propter seipsum, etiam impium ad diem malum seu interitum. Et quia major pars impia, sic majorem partem à DEO factam ad diem malum, seu interitum. *Illi*: Horrendum esse hoc dicere. *Prov. 16. 4.*

DE LAPSU HOMINIS, *Nostri*: Si pilus de capite nostro non cadit absq; voluntate Patris nostri coelestis: multò minus hominem absq; voluntate DEI cecidisse in peccatum & mortem. *Illi*: cecidisse absq; voluntate DEI. *Matth. 10. 29. Luth. de serv. arb. cap. 152.*

DE LIBERO ARBITRIO, *Nostri*: Hominem abutendo libero arbitrio, & se perdidisse, & ipsum; nec posse se suis viribus applicare ad gratiam. *Illi*: Hominem naturalem posse suis viribus velle audire & adire conciones verbi DEI, & mediis salutis benè uti, sicq; gratiam consequi.

DE GRATIA, *Nostri*: Gratiam veræ fidei & ju-

C

16 ORATIO INAUGURALIS

stificationis dari solis electis: *Illi*: Gratiam esse universalem.

DE FIDE, Nostris: Fidem veram fluere ex electione, ut effectum ex causa: *Illi*: Fidem esse causam electionis, non effectum.

Nostris: Fidem esse donum DEI, quia donatur & efficitur per verbum & spiritum Dei in cordibus electorum infallibiliter: *Illi*: Fidem esse donum DEI, quia omnibus offertur, & datur iis, qui sua virtute accipiunt verbum: non datur iis, qui suo vitio media contemnunt.

Nostris: Fidem temporariam non esse veram fidem: quia caret radicibus: *Illi*: Esse veram fidem.

DE PERSEVERANTIA, Nostris: Perseverantiam in fide certò dari à DEO omnibus verè credentibus: quia quotidie eam petunt & exaudiuntur. *Illi*: Non omnibus certò dari: sed multos verè credentes deficere & perire.

DE PERSONA CHRISTI, Nostris: Unionem personalem naturarum, esse impervestigabilem earum copulationem in unam personam, salvis utriusq; proprietatibus essentialibus. *Illi*: Unionem esse realem omnium DEI proprietatum SINE UL-
LA EXCEPTIONE in carnem effusionem, & naturarum exæquationem, *Dasß der Mensch GOTT gleich worden / vnd GOTT in diesen Menschen alle seine Majestat vnd Herrlichkeit außgegossen hat / ubi habent verba Brentii.*

Nostris: Corpus Christi ex unione non factum esse ubiquitarium, sed salva unione semper fuisse tantum uno loco, olim in terris, nunc in cælo, pro veri corporis modo. *Illi*: Corpus Christi vi unionis

*In recognit. &
Epitome Pro-
so: Mulbr.*

DE PACE ECCLES. EVANG. 17

nionis esse ubiq; etiam in omnibus pyris & pomis: omniaq; repletivè plena esse Christi, etiam secundum humanitatem.

DE OFFICIO CHRISTI. *Nostri*: Christi mortem nihil prodesse infidelibus, sed solis fidelibus: & sic rectè dici: Christum non esse mortuum pro infidelibus, sed pro solis fidelibus: *cum mori pro aliquo*, propriè sit aliquem sua morte servare. *Illi*: Christum absolutè & pariter mortuum esse pro omnibus, etiam pro jam olim damnatis. Rom. 5. v. 6. 7.

DE PROMISSIONIBUS EVANGELII, *Nostri*: Promissiones Evangelii annunciatione quidem pertinere ad omnes: fructu verò ad solos credentes. *Illi*: Pertinere simpliciter ad omnes.

DE SACRAMENTIS: Sacramenta esse signa & sigilla promissionis gratiæ, verbaq; visibilia, eandem gratiam (Christum cum suis beneficiis) constantia oculis, quam promissio ingerit auribus. *Illi*: Sacramenta res spirituales præsentis continere & offerre in signis: *imò Christum sic jacere involutum in Sacramentis: sicut jacebat fasciis involutus in præsepi.*

Nostri: Sacramenta non conferre res signatas ex opere operato, ut Sophistæ locuti sunt: sed spiritus gratiam iisdem assistere, & per ea operari in usu legitimo. *Illi*: Latentem virtutem Sacramentis annexam, affixamque esse, qua res conferantur utentibus.

Nostri: Verba Domini de pane: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur*, sacramentaliter, hoc est, significativè esse intelligenda, quod panis sit sacramentum, hoc est, sacrum signum corporis Christi: *quia Sacramentum est sacrum signum*: Proprium ve- Aug. lib. 10. de C. D. cap. 6.

rò sensum incurrere in articulos fidei. *Illi*: Esse propriè intelligenda: quod in pane sit corpus Christi præsens invisibiliter.

Nostri: Corpus Christi, propriè dictum, in S. cœna manducari, non nisi spiritualiter, fide, à solis fidelibus. *Illi*: Corpus Christi manducari in pane corporaliter, ore, supernaturaliter: etiam ab infidelibus, &c.

Omitto plura: Recensui breviter præcipuas utriusq; partis structuras super fundamento, de quibus

— *Vndiq; totis*

Vsq; adeo turbatur agris.

*Structura ad-
versarie sto-
pula.*

1. Cor. 3. 15.

II. Causa.

Respond.

Nostras fatemur non esse fundamentum, sed fundamento superstructas & consentaneas. Adversarii suas pro mero auro, imò pro fundamento ipso Ecclesiæ obtrudunt: Nos non aurum, sed meras stipulas esse asserimus: fundamento non magis congruas, quam pavimento marmoreo congruum est congestum cespite culmen. Earum igitur ignoratio, vel negatio agricolam fidelem in vicino pago nimirè damnabit: Assertio architectos suos nequaquam servabit: imò vix quasi per ignem ad salutem admittet. Atq; hæc ad primam rationem: prolixius forte: sed non nimis. Est enim hæc ratio & totius negotii, quod sustinemus ab adversariis. Aliæ breviores sunt.

ALTERAM igitur rationem proferunt *mandatum DEI severissimum de pseudoprophetis, sanam doctrinam non adferentibus, cavendis, vitandis, nec salvandis, sed fugiendis, ceu lupis rapacibus.*

CÆTERUM bona esset hæc ratio, nisi assumptio falsa criminatione niteretur. Severissimum Servatoris

DE PACE ECCLES. EVANG. 49

toris mandatum novimus, & sanctè tenemus; *Ca-
vete falsos prophetas.* Negamus verò, structures no-
stras per id in quæstionem postulari. Quin secum
ipsi habitent, quam egregie sanam doctrinam no-
bis adferant (verbi causa) *de carne Christi ubiquita-
ria*, hoc est, non carne: *de gratia DEI universali*, in
medium projecta, & arbitrio arripientium relicta,
hoc est, non gratia: *de prædestinatione vaga, indeter-
minata*, qua DEUS nullas certas personas elegerit,
præteritis aliis: Sed oblata salutis media promptè ac-
cipientes eligat, & prædestinet ad vitam, tamen e-
ventualiter, si perseverent: media verò salutis suo
vitio spernentes, reprobet, & prædestinet ad mor-
tem, tamen eventualiter, nisi resipiscant. Hæc ve-
re est eorum doctrina, si rotundo ore loquantur, &
nobis contradicant, ex Pelagii lacunis hausta, qua
DEUS in *Idolum Fortunæ* transformatur, ut ostendit
LUTHERUS contra Erasmus: homo suo reti sa-
crificare docetur, quasi ipse se bono mediorem usu
discernat, contra illud: *Quis te discrevit?* quæ de-
niq; in ipsum Pelagianismum recidit. Videatur
Aug. lib. 1. de prædestinatione Sanctorum.

TERTIAM rationem prætendunt, quòd à nobis *III. Causa.*
quærat pacificatio cum maximo partis sue præiudicio
coniuncta, qua omnem dissidii sacramentarii culpam in
ipsos quasi authores transferre satagamus.

VERUM enimvero ridicula non minus est hæc *Respond.*
ratio, cur pacificationem nolint, quàm si duo jacen-
tes in puteo extrahi nollent, eò quòd uter alterum
præcipitaverit, inter eos non conveniat. De au-
thoribus, continuatoribus, renovatoribus dissidii
loquantur historia. Testatur ipse LUTHERUS, se *Tubing. fru-
stratigans de
authore dissi-
di.*

*Tubinger. se
an sanam do-
ctrinam nobis
adferant.*

*Luth. de ser-
v. arb. cap. 14. 30*



ad scribendum contra se in causa sacramenti, & provocasse, & aureo dato inauthorasse CAROLOSTADIUM, ex qua duorum hominum *συρρέξες*, fatalis Erinny's Ecclesias Evangelicas turbare primum cœpit. Verum ut ut hoc se habeat, nostrum est, mandato Servatoris obsecundare: *Si recordatus fueris, quod frater tuus aliquid habeat contra te, relinque munus tuum ad altare, ac vade, & reconciliare fratri tuo, dum es cum eo in via &c.* Et Apostoli: *Ne sint inter vos schismata.* Quare & hæc ratio nititur causa nec vera, nec Christiana, quod qui initium offensæ non fecit, ad reconciliationem debeat esse difficilis.

Matth. 5. 23.

1. Cor. 11. 18.

IV. Causa.

QUARTAM causam aiunt esse, quod à nobis quaratur religionis vera & falsa confusio, lucis & tenebrarum communitio, veritatis & mendacii conciliatio, Samaritanismus, Atheismus.

Respond.

HÆC verò iniquissima calumnia Irenici capite 12. & 29. & notis ad *Problema Hutterianum de Syncretismo* nuper editis, perspicuè est refutata. Falsum igitur assumit etiam hæc ratio.

V. Causa.

Adamus Conzen Iesuita.

Pro QUINTA ratione colligunt ex Polemicis quibusdam nostrorum scriptis varia epitheta injuriâ suis tributa, quod vocaverint Capernaitas, Cyclopas, Thyestas, Marcionitas, Pelagianos, Creophagos, Hæmatopotas, Ubiquitarios, Flacianos &c. Ex quo loco communi etiam *histrion Moguntinus* integrum propè conflavit librum, quem *de Unione & Synodo Evangelicorum* sarcasticè scripsit, in acervum unum congestis omnibus illis acerbitatibus, quas olim Lutherus, Alberus, Westphalus, alii, in *Carolo stadium, Zwinglium, Calvinum*, alios, vel hi in illos, durante

DE PACE ECCLES. EVANG. 21

durante hoc infelici diffidio, impotentius effutiverunt.

AT QUI nulla etiam hæc est ratio. Non excusamus nostrorum nimios affectus, vel excessus, si quando ad par pro pari referendum humana eos abstraxit infirmitas. Iis verò si adversarii injuriã læsos sese arbitrantur: quid nostri contra non querentur, quos illi longe atrocius insectari consueverunt, vocando eos spiritus cœlestes, Sacramentarios, Svermeros, artophagos, œropotas, psychophagos, psychoctonos, diabolos, indiabolizatos, perdiabolizatos, superdiabolizatos, blasphemos, Nestorianos, Mahumetanos, Turcas, atheos, & nescio quos non. Ista verò ut minimè probantur, ita inducias & pacem non modo non impedire, sed maximè suadere debent. Fuerunt enim & erunt hæc flagrantis belli incommoda & calamitates, quæ ne in posterum Ecclesiam affligant, sed utrinq; caveantur, è medio tollantur, hac ipsa causa tandem ad æqua pacis consilia est veniendum.

HIS itaque ut finiam, perspicuum feci breviter, adversarios nullã justã causã paci Ecclesiæ refragari, bellum redintegrare. Viderint igitur, quam rem agant tantã pertinaciã: Pacem nolunt: elongabitur ergo ab eis: Bellum volunt: Induent igitur ut vestimentum, & ingredietur in interiora eorum, & devorabit eos, nisi cavent. Nos nihilominus, quod filios pacis decet, in silentio & spe pro pace Jerusalem, & pro mediis ad eam orare, & laborare non desistemus.

Beati

Matth. 5. 7.
Prov. 12. 10.
Psal. 120. 7.

Beati enim pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur. Et in corde consulentium pacem, erit letitia. Gentes vero qua bellum volunt, dissipabit Dominus &c. AMEN.



BREVIS



BREVIS PROTESTATIO

D. PAREI, CUR ADVERSA-

RIOS PACIS NULLO

responsō dignetur.

Ad Christianum Lectorem.



Ratiunculam hanc inauguralem de pace Evangelicorum, Christiane Lector, ea potissimum causa lucem nunc videre scias, ut quo loco mihi sint duo adversaria scripta, Moguntinum & Tubingense, ne nescias: nevé magnas à me pro IRENIC O apologias expectes. Nullis opus. Si enim è Moguntinensi tollas *μωρεκακίαν*: è Tubingensi garrulam dicacitatem & coccyismos: ad valde brevia redibunt tam grandia chartarum volumina: & vix aliquid erit, de quo non, ad triumphum usque, absq; patrono, ipsum pro se loquatur IRENICUM apud æquos iudices. Absit verò à me, à canis meis hæc vesania, ut cum Sannionibus, maledicis mihi rem esse velim. Et cui bono? Pro pace ego centifolius scriptis centifolium opponam? Adversarii duplicabunt? triplicabunt? Pacis consilium ibit in immensæ contentionis funem? Minime. TRIDUUM imo trihorium vitæ, quod post epidemiam hanc plagam, à me meisq; clementissimè depulsam, diebus meis superadditurus videtur Dominus Deus, sanctoribus meditationibus debetur. Ire-

D

nicum igitur, quod scripsi, erit Irenicum, nec fiet mihi polemicum.

Protestor vero coram Deo, & sancta eius Ecclesia, silentium meum nullo cum præjudicio optimæ causæ nostræ futurum: culpam incommodorum, quibus Ecclesia Evangelica ex turbato hoc statu porrò subiacebit, in nos minime, qui pacem postulavimus, sed in adversarios pacis, redundaturam in Dei judicio.

Æquitas rei ex pauculis, quæ addam, magis liquebit.

Suasi discordibus pacem: pacis causa Synodum: Synodi causa Syncretismum Ecclesiasticum, seu inducias & societatem spiritualium armorum adversus Antichristum, ad usq; Synodum: autoritate S. Scripturæ, exemplis, rationibus æquissimis omnia.

Contra Jesuita Moguntinus, cupiens esse unguis in ulcere, classicum ex plauastro Lutheranicum, pacem Evangelicorum sannis minisq; exhibat, de Synodo nostra, quin & de Concilio suo (quod somniat) fabulas, atro sale plenas, ad dilatandum splenem, non ad movendum cor lectoribus, perquam lepidas agit festivus ludio. Syncretismum turpitudine Cretensium infamem proclamat: Lutheranos, ne de Germanis velint esse Cretenses, ludificat. Fabulis crimina capitalia in turbones & Gracchos: Prædicantes & Principes Evangelicos, plurima virulenter adspergit.

Huic ἀλλοτριονόω, quid ego dicam, nisi illud? *Homines illusores illaqueant civitatem: Illusoribus autem parata sunt judicia, & contritiones corpori stultorum. Odit Iehova immittentem iurgia inter fratres?*

Quid

Prov. 19. 2. 19.
6. 19.

Quid aliud vero ageret hostis Euangelii, mancipium Antichristi, Jesuita, nisi ut pacem Evangelii perturbet, saginam heri sui promoveat? Pascitur enim & saginatur discordiâ nostrâ Romanus Pontifex.

Synodus Evangelicorum ita scilicet ludis tribuenda erit, prout iste fabulatur: vel quasi difficile foret nostris, si huius more abuti otio vellemus, in gregem Papalem retorquere fabulas.

Ad Syncretismum infamandum inscitia eum armavit, quæ non evitaret Erasmi ferulam, si viveret. Disceret enim, *Syncretismi* nomen adeò non esse infame, ut Cretenses, alioqui mendaces, ignavi Tit. 1. 12.

ventres, & malæ bestię, hoc solum habuerint, fecerint laudabile, quòd qui modo viderentur hostes acerrimi, repente in summam concordiam redigerentur. Aliis proverbii, quæ ad traducendum Vide Chiloadi Erasmi,

Syncretismum ex Erasmo descripsit, *ὁ κρη̃ς πρὸς τὸν κρη̃- πεκα: & ὁ κρη̃ς πρὸς αἰγνήτιω & Ἀλωπεκίζειν πρὸς ἐτέραν ἀλώ- πεκα:* nihil nisi inertiam suam traducit. Nescit enim, hæc proverbialia non societatem, sed pugnam dolosam notare.

De criminibus capitalibus turbonum & Gracchorum, si legitimo tribunali sisteretur, vereor, ne in probatione deficeret, pœneq; sycophantis statute damnas fieret. Quas enim ratiunculas maledicentiæ suæ prætexit duobus locis, frivoli sunt paralogismi, quos etiam Catechumenus tyro vel assumpti inficiatione, vel regni Christi & Imperii mundani, jurisq; divini & humani distinctione, nullo negotio destrueret. Quid multis? Synodus, pax Evangelicorum nihil ad Jesuitam. Non erat igitur, cur in alieno choro pedem poneret.

De TUBINGENSI volumine, præter ea, quæ oratione attigi, nihil addo, nisi hoc: postquam penitus introspexi, vix aliquid moderati in eo me reperisse, præter titulum, & eum quidem aliunde, à Neustadiensium quondam Theologorum *Admiratione Christiana de libro Concordiæ* petitum: quo tamen adscititio fucō virulentia libri parum tegitur. Adeo omnia ubiq; atro sale ac spiritu perfusa, calumniis, scommatibus referta, Christianæ moderationis vestigium vix ullum: Synodi spes, pacis conditio nulla, nisi proni adoremus omnia sua placita: quod absit. In me, in caput meum, in omnes nostros fulmina, scommata Jesuiticis nihilo clementiora. Quis nisi amens contraibit? Audio laudari piam modestiam & lenitatem huius scriptoris, à PERSONALIBUS summo studio abstinentis. En verò piæ modestiæ & lenitatis quædam ex multis specimina:

Pag. 23. 25.

34. 35. 41. 43.

44. 46. 47. 48.

49. 54. 57. 62.

71. 72. 74. 84.

94. 98. 99. 104.

104. 108. 116.

128. 129. 130.

132. 133. 135.

140. 141. 142.

143. 146. 147.

150.

Pareus dictator, pudendus criminator, mendax: alter Iupiter in tribunali sedens: impudens: tot fundit mendacia ferme, quot ponit verba: fumos vendit: criminator: Calviniani dissensionum authores, altores, incendiarii: Pareus vanus: mendax: fabulator: insigniter impudens: nugator temerarius: malitiosus: stultus: graculus: Synodum à suis Magnatibus frustra & fraudulenter postulat eosq; turpiter deludit: calumniator & perversor status controversiæ nequissimus: Pacificator: astutum Parei consilium: Synodicus Doctor Pareus: Arianorum vestigiis fideliter insistens: eodem cum Arianis præceptore usus: meris prestigiis literam & sensum Melancthonis studiose pervertens: Pareus terrena pacis plus quàm Dei & veritatis studiosus: prestigiator & agyrea: cavillator: Syncretistæ: subdole occultans veritatem: egregius impostor: phra-

see

*ses Parei flexuosa & tortuosa: cum Enthusiastis sentit: calami
 habens mendacem: omnem pudorem exuit: contra cor & cō-
 scientiam loquitur: omnes alios ex alto despiciens: Calvi-
 nianorum mendax spiritus: Bellarmini socius: crimen fal-
 si committit: Sophistarum more ludit: calumniis & de-
 bachationibus ab orthodoxa doctrina absterrere volens:
 lupus rapax: aliud calamo scribens, aliud animo sen-
 tiens: affirmat album esse nigrum: Extenuator: manda-
 cationem sacramentalem arrodit dente canino: simplices
 ludificat; imperitiores decipit: Spiritum vertiginis ha-
 bens: eodem ore calidum & frigidum efflat: aliud stans
 aliud sedens loquitur: impostor: omnes in univ. sum Cal-
 viniani Doctores blasphemus ore Christi carnem energia
 vivificandi spoliatur: Sycophanta: extenuator callide &
 fraudulenter controversiam veram reticens: alias emen-
 titas substituens: calumniator criminando patrocinator
 Diabolo: egregius Sophista: advocatus & promotor Pho-
 tinianorum: Aristarchus evomens calumnias: canis ra-
 biosus, ad oppressionem veritatis se totum mancipavit: vi-
 pera: odiosissimus traductor, perversor: Irenicum Parei
 medium Interimisticum: Iterumne Asinus canem momor-
 dit Paree: nulla pietatis mica in Pareo reliqua: à Pareo omnis
 culpa in Deum transfertur: homo maxima parte excusa-
 tur: Pareus Svvenfeldianorum, Anabaptistarum hypera-
 spistes: Christo in faciem expuit: Pareus Theologus spiritus
 vertiginis correptus, in eodem articulo & folio sibi prodi-
 giose contradicens: Parei verba vanissima: Deus secundū
 Pareum maxima hominum parti nihil offert, sed illudit:
 Distinctio voluntatis Dei in revelatam & arcanam, à Pa-
 reo posita est falsissima, seipsam evertens: impia, blasphe-
 ma in Deum, adeoq; ipsius Diaboli crepitus: (Ex audacem
 inscitiam: nonne, Sigward morietur: revelata: cras*

Pag. 153. 158.
 160. 161. 171.
 183. 196. 210.
 211. 230. 160.
 279. 281. 291.
 351. 370. 382.
 397. 423. 460.
 461. 597. 620.
 668. 700. 707.
 721. 735. 741.

Vide Luth. de
 seruo arb. cap.
 108. 116.

28 AD CHRISTIANUM PECTORUM.


* Calumnia
D. Smidlini:
ante annos
28. refutata.


* Incepit te
Dominus, Sa-
tan. Menda-
ciam ex cri-
mine falsi D.
Smidlini, anno
1589. refutata.


moriatur: occulta Dei voluntas?) * Biblia Germanica
Pareus adulteravit sub nomine Lutheri: Pareus facilis in
criminando: vaser in pervertendo scopo: Desipit, insanit:
Christo in faciem expuit: Apostolum menda-
cii arguit: egregium agit hypocritam: rabulam forensem
potius agit, quam Theologum: Pareus grunnit: * Pareus
in Bibl. Neustad. suffuratus est Deo vocabulum proprii,
& traiecit ad vocem Ecclesiae: Deus suo sanguine acqui-
sit propriam suam Ecclesiam: De Irenico tanquam alter
Goliath Thraconicè gloriatur, &c.


His argumentis, his telis iacet IRENICUM.
Sic Pareus senex pro sincero pacis studio fuit Chri-
stianè admonendus. Maeste, vicisti Charitine. Tu
verò, ô Domine Deus, exurge, & discepta cau-
sam nostram in iustitia tua. Scripsi manu mea, ad
lectulum doloris mei Heidelbergæ Nonis Septem.
1616.


D. PAREUS.

















Hildrici vindicia. Biblica Version: Tigur:

Barci Oratio de pace et unione Eccl: Evangelicav.

Raxen spergeri ad oratō ad p̄p̄y Job: Piscatorem.

Ejūsd: iudiciū de Grot: libro ad p̄p̄y Socinū de Sctis

Ejūsd: globy sacrosanctione.

Sculteti (Abr:) Concio secularis de crā Evang: restaura^{ta}

Marc: Antonii de Dominis caūa Afectionis ex Italia.

Ferrii postliminiū.

Argenti de statu Soc: tes: in Colon: et Luth: can:

Tamporeni, quā stiq de foederibz.

Mylū Comœdia Africa Synopsis.

Gelicci defensio sexus muliebris.

Facultatis Theol: aomonitio de eadem re.

De Lublinensi Dissput. Anno 1615.

Intimatis Jubilæi Evangel: ad 1617. vittel

Epistola innotatoria Theol: Saxon: ad idē Jubilæi

Jubilæum Luth: veranū Leoninū.

ULB Halle


004 071 263

3



56





B.I.G.

Farbkarte #13

VIDIS PAREI

& Unione Ecclesiarum Evangel.

RATIO

Inauguralis

IN SOLENNI UNIVERSI-
genfis *πανεπιστημίου*, II. April. 1616. qua Rev. &
M. CUNRADO DECKERO S.S.
logiæ: novem aliis Candidatis Ju-
ris utriusq; insignia Doctoralia
conferebantur.

RENISSIMUS DN. ELECTOR,
cus V. Palatinus Rheni &c. cum Augusto suo
Senatu & Comitatu intervenit.

PROTESTATIONE D. PAREI,
versarios Pacis & Synodi &c. responso
nullo dignetur.



HEIDELBERGÆ

nsis IONÆ ROSÆ librarii Francofurt.
Typis Iohan. Lancelloti *Academia Typogr.*

clo 16 cxvi.

